

§. 6. Si quis autem non sub eodem, sed nonnisi sequenti Termino Judiciorum, Procuratoris Revocationem adhibere vellet (Causaque non facto ipsiusmet Judicis, seu per consuetam Judiciariam rejectam, in alium Terminum extensa, prorogataque extitit) nisi praeterea remedium aliquod Juris tale, quod Executionem per se sisteret, adhibeat; Revocationique Procuratoriae conjungat; praedicta Procuratoris revocatione, non alias uti, quam cum onere quinquaginta Marcarum gravis ponderis, poterit.

§. 7. Praemissis, eo etiam adjecto: Quod Revocatio Procuratoris, post Productionem quoque Literalium Instrumentorum, admittenda veniat; verum non alias; quam cum personali ipsiusmet Causantis, *) vel sui Plenipotentarii adstantia fieri debeat.

§. 8. Causam tamen continuare; Revocatus quoque Procurator (seu qui prius allegaverat) absque nova etiam Procuratoria Constitutione, possit.

De Depositione Causae.

Articulus 40.

Depositio Causae, omnibus Foris et Causis competit; cum onere, in Regia, vel Banali, nec non Districtualibus, aut Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Judiciaria Tabulis; Florenorum sex; in Foro autem Sacrae Sedis, Comitatus ac Civitatum; Florenorum trium.

§. 1. In Causa tamen, in qua ex onere Birsagiali Adversarii, Actor participavit, ad mentem Tituli 83. Partis Secundae Tripartitalis, nullo modo; in Actibus vero Violentiarum, poenae, indebitae obnoxiiis; praecise in prima Causae instantia (id est: Causa in praeliminaribus adhuc, esto Meriti versante, sive uti jam praxis obtinuit, usquequo Adversarius infligendam Actori poenam indebitae non petat) in Causis porro, poenae calumniae obnoxiiis; nonnisi ante Literalium Instrumentorum, Causae Decisionem finalem tangentium, productionem; ad mentem Articuli 23. An. 1547. admittatur.

§. 2. Praeterea vero, aequitati consonum censetur; ut Actor, qui Causam non prius, verum Adversario jam pro Termino comparente deponit; causatas per eundem a Motione Litis, usque ad ipsam Depositionem Expensas (praehabita illarum, coram eodem ipso Judice, coram quo Depositio fieret, liquidatione) praevie, instantaneeque refundere in Causam attracto teneatur; neque secus Depositio admittatur. **)

§. 3. Imo; esto non ille, qui causam movit; sed primum suus Successor, in se devolutam Causam deponat; adeoque ipse, tanquam ob factum non proprium, sed alienum, poenali, ob motionem Litis, oneri non subjaceat; Refusioni tamen Expensarum, etiam per Praedecessorum suum causatarum, obnoxius erit; siquidem Expensae, venirent in Actionem Rei persecutoriam; ubi Haeres praestat factum defuncti.

*) Confer; Ulad. Decr. 4. a. 13.

**) Simile quid statutum erat. An. 1655. a. 53.